







17

F. 4. num. 26, H  
1742, 16.

Q. D. B. V.  
DISSERTATIO IVRIS FEVDALIS  
DE

FEVDO PIGNORATITIO  
RE FVNDAMENTI ET  
VTILITATIS EGENA

vom

Pfand - Lehn,

als einer ungegründeten und unnützen Sache,

QVAM

ILLVSTRI ICTORVM ORDINE

CONSENTIENTE

P R A E S I D E

DN. IO. GOTTLIEB SIEGEL D.

IVR. FEVD. PROF. PVBL. ORDIN. ACADEM. SYNDIC.

REGIAE ATQVE ELECTORALIS CVRIAE SVPREMAE

PROVINCIALIS NEC CONSISTORII LIPSIENSIS

ADVOCATO

PRAECEPTORE SVO PIE COLENDO

D. V. APRILIS CIO IDCC XXXXII.

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI

SVBMITTIT

AVCTOR ET RESPONDENS

CHRISTIAN GVILIELM ERNST BEYER

ARNSTADIO - SCHWARTZBVRG.

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIANA





D I S S E R T A T I O  
R E F U N D A M E N T I  
E T  
U T I L I T A T I S  
E C C L E S I A E


als eine ungeschriebene und ungenügende Sache

U N I V E R S I T Ä T S O R D I N E  
P R A E S I D E N T I

D N O G O T T L I E R S I E G E L D  
R E G I E A L T O V E R S I T Ä T S A C A D E M I A E  
P R O V I N C I A L I S M O N A C H I E N S I S

P R A E C E P T O R E S V O P I E C O L E N D O  
D V A P R I L I S M D C C X X X I I I  
P A B L I C O E X A M I N I

C H R I S T I A N G U E R L E M E R N S T B E Y E R  
A R N S T A D I O - S C H W A R T S B E R G



E X O F F I C I N A P A R A G R A M M A T I C A E





MONSEIGNEUR

A

SON ALTESSE SERENISSIME  
MONSEIGNEUR

MONSEIGNEUR

H E N R I

PRINCE DE SCHWARTZBOVRG,  
DES IV. COMTES DE L'EMPIRE,  
COMTE D'HOHENSTEIN SEIGNEUR

D'ARNSTADT, SONDRSHAVSEN,  
LEVTEMBERG, LOHRA,

CLETTENBERG etc. etc.



MONSEIGNEUR,

*Le* Respect et la profonde vénération que j'ai eue dès ma plus tendre jeunesse pour VOTRE ALTESSE SERENISSIME, ont été jusqu'ici le principal motif qui m'a engagé à LVI en faire l'aveu solennel par la liberté que je prens de LVI offrir les prémices de mes études.



études. Il est vrai, que c'est une grande temerité que de paroître devant un Prince qui possède à un sublime degré la connoissance de toutes sortes de science et qui reuni en sa personne toutes les qualités qui ont rendu L' Illustre Maison de Schwartzbourg si florissante. Cependant poussé par le seul zele dont brule un veritable sujet de faire à son Souverain l' offre de ses très humbles services, j' ose temoigner à V. A. par la Dedicacion de la presente These la reconnoissance que je LVI ai du favorable acueil qu' il LVI plu me faire la premiere fois que j' eus l' honneur de LVI être présenté. J' espere qu' ELLE voudra bien l' agréer également que les voeux que j' adresse au Tout Puissant pour Sa conservation et celle de Son illustre Maison, qu' il repande sur V. A. ses plus rares benedictions et daigne prolonger le fil de Son regne glorieux, tant

A 3 pour



*pour la joye commune des peuples commis  
à Sa sage Domination que pour l'honneur  
que je retirerai de LA pouvoir convaincre  
plus souvent que c'est avec l'obeissance  
la plus profonde que je suis,*

**MONSEIGNEUR,**

**DE VOTRE ALTESSE  
SERENISSIME**

*le très humble, très obeissant serviteur  
et très fidele*

*Sujet*

**CHRETIEN GVILLAVME ERNESTE BEYER.**





§. I.

ominum improbitate crescēte, fides decrefcit,  
iustitiae infensū sententiam Poetae: <sup>a</sup>

*Hominum im-  
probitas la-  
psum fidei  
gignit.*

Nec boue mactato coelestia Numina gaudent,  
Sed, quae praestanda et sine teste, fide.

paruifaciunt, potius proximi bona inhiant, excogitandisque  
decipiendi mediis impendunt operam. Quod malum, dif-  
fidentiae causam, *Plautus* aiens: <sup>b</sup>

Nunc certum est nulli posthaec quicquam credere,

Satis sum semel deceptus,  
iam reputauit, ipsiusque rationem *Iuuenalis* sentiens: <sup>c</sup>

Quantum quisque sua nummorum seruat in arca,

Tantum habet et fidei,

aeque habuisse videtur. Lapsus is fidei non satis dolendus  
causas orantium ingenia mirifice torfit, vt inueniatur via,  
qua Creditores debitorum malitiae obuiam ire, et, si quid  
alterius fidei committant, periculo vacui esse, queant. Licet  
enim pignoratitium Contractum, et hypothecam, media se-  
curitatis, iura commendent; multa tamen obstacula, fini  
inde

*Causas orantes  
de mediis, qui-  
bus Creditores,  
debitorum ma-  
litiā obuiam  
ire possint,  
sunt solli-  
citi.*

a) *Onid. epist. 28.*

b) in *Capitulis.*

c) *Satyr. 3.*



inde sperato, remoras inlicitas, deprehensa fuerunt, hinc Iurisprudentes animum in id intenderunt, ut contra debitorum imposturas creditorum firmiora parentur tela.

## §. II.

Duplex remedium inueniunt.

Re accuratius pensitata, duplici ratione creditorum commodis prospici posse, existimatum fuit, videlicet, ut in bonis debitoris idonea securitas creditori quaeratur, et debitor ita obstringatur, ut, si ad verba *Terentii*:<sup>d</sup>

Transitio ad thema.

Adhuc curavi vnum hoc quidem, ut mihi esset fides, haud respiciat, in ipsius personam executio decernatur. A scopo meo alienum foret, cautelas ad vtrumque medium facientes, a Dd. suppeditatas, commemorare. Sufficiat in praesenti asserere, in numerum istarum cautelarum et feudum pignoratitium referri. Ipsius definitio, quam *Mirbach*<sup>e</sup> ita formauit: Est Ius in re, sub Lege Vasalliticae fidelitatis, in securitatem debiti, concessum, hoc satis firmat. Verum talem finem, pignoratitium ex feudo, nequaquam deriuari posse, potius feudum pignoratitium fundamento, quoad Ius Feudale Longobardicum, pariter et Germanicum, carere, et ab omni vilitate alienum esse, hoc specimine Academico, pro viribus, demonstrare, constitutum habeo.

## §. III.

Feudum pignoratitium omnes Dd. Iuris Feudalis statuunt.

Feudum pignoratitium dari, communis Dd. Iuris Feudalis est opinio, ut, quantum mihi notum, nemo sit, qui de isto dubitet. Non solum in omnibus scriptis feudalibus<sup>f</sup> species

d) Phorm. §. sc. 7.

e) in disp. de feudo pignoratitio. §. III.

f) *Schilt.* Instit. Iur. Feud. cap. IX. §. 25. *Tit.* Ius Feud. Cap. V. §. 20. *Horn.* Iurispr. Feud. cap. IV. §. 9. *Hunn.* Tract. Feud. cap. VI. p. 98. *Goddae* disp. Feud. II. §. 9. *Struu* Synt. Iur. Feud. cap. IV. aphor. XIV. innumerisque aliis.



species feudi, quae pignoratitium audit, occurrit, verum etiam variis Dissertationibus ista materia illustrata, ita *Arnold Krupp* anno 1689. Giesæ Hassorum, *Samuel Stryck* anno 1692. Vittemberg. et *Vlricus Marbach* anno 1710. Argentorati, de feudo pignoratitio differuerunt. Autores harum dissertationum non vna eademque amplectuntur principia. *Marbach* §. II. disertis verbis ait, Longobardicæ Consuetudines nullam plane mentionem de feudo pignoratitio iniicere, cui etiam *Stryck* cap. I. §. XV. certa ratione, astipulatur; *Krupp* e contrario Cap. II. n. 1. asserit, feudum pignoratitium Iure Longobardico fundatum esse, et fundamentum ex I. Feud. XI. §. similiter si quis etc. et I. Feud. 28. petit. Porro, allegatus *Krupp* Cap. VI. n. 3. foeminas ad successionem in feudo pignoratitio admittit, *Marbach* autem §. XIV. eas excludit. In eo tamen uterque Autor convenit, quod Vasallus feudum pignoratitium, Domino moram contrahente, alienare possit. Si ego statuerem Feudum pignoratitium, foeminas, cum *Marbachio*, a successione remoturus, et Vasallo potestatem, Domino in mora existente, feudum pignoratitium distrahendi, negaturus, potius Creditorem, de Feudo pignoratitio inuestiturum, pignoris effectui, in iure alienandi consistenti, renunciasse, esse defensusurus. Nec sine ratione. Natura feudi foemininum sexum a successione arcet<sup>g</sup>, donec fundamentum, naturae feudi contrarium, demonstretur. In feudo pignoratitio nihil deprehenditur, quod naturam, feudi successionem, ordinantem, mutet. Cui omnino consequens est, feudum pignoratitium expirare, si vasallus, descendantibus foeminis relictis, decedat, neutiquam vero ad Agnatos, etiam si a primo acquirente sanguinem trahant, transire, siquidem

*Circa feudum pignoratitium cessat foeminarum successio, et ius alienandi.*

g) II. Feud. 11. et 36. Iur. Feud. Saxon. Cap. II. Iur. Alem. Cap. I. et IV.



liquidem feudum pignoratitium, accessorium ad principale, debitum nempe, in cuius securitatem constitutum, reputandum, et sicuti hoc defuncti Vasalli agnatis, filiabus ipsius existentibus, non cedit, ita transmissio accessorii ad agnatos, foret superuacanea. Dein omnis quidem feudi alienatio est prohibita<sup>h</sup>, verum Imper. *Iustinianus*<sup>i</sup>, post debitoris moram, pignus distrahendi, creditori, concessit facultatem. Vnde in diiudicanda quaestione: an Vasallo, feudum pignoratitium possidenti, huius alienatio, Domino moram committente, permissa? res eo reedit, quis potius de iure suo, Dominus scilicet, an Vasallus, remisisse, praesumatur? Maiora iudicia, remissionem iuris Vasallo competentis arguentia, apparent. In dubio praesumendum id, quod benignius<sup>k</sup>. Vasalli abdicatio iuris, feudum pignoratitium alienandi, tantum praeiudicium non inuoluit, quam Domini consensus in illius alienationem. Vasallus, iuri distrahendi renuncians, nihil fere amittit, ius in re, ipsi quaesitum, manet integrum, retentione et possessione gaudet, nec non iure, Dominum ad solutionem compellendi; Dominus e contrario, alienationem feudi permittens, maius sentit damnum. Feudi pignoratitii qualitas alienatione extinguitur: Vasallus enim, venditor, solutionem debiti consequitur, quo ipso, principale sublatum, proin et accessorium corrui. Feudo autem pignoratitio finito, Dominus iuribus suis, feudo cohaerentibus, cadit, et spes, illud aliquando recuperandi, longe remotior. Cui accedit, quod, si circa vnam eandemque rem duo actus gesti, et vtriusque effectus non conueniat, res, iuxta actum posteriorem, aestimanda<sup>l</sup>, inde concludi potest, decisionem

h) II, F. 52. et 55.

i) in L. 3. C. de iur. Dom. impetr.

h) L. 56. ff. de R. I.

l) L. 60. §. 6. ff. locat. L. 27. §. 2. ff. de pact. L. 17. ff. de peric. et commodo rei vendit.



decisionem quaestionis: an Vasallus feudum pignoratitium distrahere, valeat? ex posteriori actu, infeudatione scilicet, petendam esse, potissimum, cum contra Vasallum, alienationem feudi pignoratitii cupientem, interpretatio facienda <sup>m</sup>. Singulare enim praetendit, hinc, clarius loqui, debuisse.

## §. IV.

Argumenta, quibus alienatio feudi pignoratitii defenditur, ita composita sunt: I. Distractio non praecudat Domino, quippe qui, intra illud tempus, per quod, post denunciationem factam, alienatio inhiberetur, fidelem denominare potest, cui feudum velit emtum, quod, si negligit, sibi habet damnum. II. Creditor in distractione bona fide uti debet, ut adeo Dominus, omissa etiam denominatione, Vasallum conuenire possit, si homini leui, aut parum fideli, rem vendidit <sup>n</sup>. III. Facultate alienandi vasallo non concessa, pactum pignoris erit inutile, pignorum namque natura est, ut, debitore non soluente, pignora distrahantur <sup>o</sup>. Quibus addere liceat: IV. Creditoris expressa renunciatio iuris, distrahendi pignus, non nocet, sed, ea non obstante, ad alienationem, trina denunciatione praecedenti, peruenitur <sup>p</sup>, multo minus igitur, tacita renunciatio distractionem impedire potest. V. Domino in oppignorationem feudi consentiente, huius alienatio, sine ipsius ulteriori consensu, subsistit <sup>q</sup>. In quantum haec omnia veritatem prae se ferant, et attentione sint digna, mox apparebit. Distractio pignoris, non semper denunciatio praecedere, debet, sed tunc demum, si vel nihil de alienatione, vel ita

*Consuetudo  
argumenta,  
quibus alie-  
natio feudi  
pignoratitii  
defenditur.*

B 2

conuen-

m) arg. L. 39. ff. de pact.

n) Hülse argumentis *Marbach* cit. diff. §. 19. vtitur.

o) Ad hoc fundamentum prouocat *Krupp* alleg. disp. Cap. VI. n. 4.

p) L. 4. ff. de pigner. act.

q) *Rosenth.* Synopf. Iur. Feud. Cap. IX. concl. 19. n. 8.



conuenientum, ne alienetur<sup>r</sup>; in casu autem inite conuen-  
tionis, vt alienare liceat, cessat denunciatio, cui consequens  
est, argumentum primum contrariae opinionis, si recte se  
haberet, non vbique, sed certo tantum casu, vtilitatem prae-  
bere. Verum nec tunc feudi pignoratitii alienatio ideo  
permissa. Pono, Vasallum post denunciationem, per bien-  
nium quiescere, eoque elapso, alienationem feudi pignora-  
titii demum suscipere, nihilominus praedictum Domini  
extra dubium positum, cum ipsius interesse, praesentem,  
non alium habere Vasallum, et fieri possit, quo minus inue-  
niatur alius, cum quo talis conuentio feudalis iniri possit,  
quali est opus, si solutio Vasallo praestanda. Et quid tum  
regerendum, si futurus Vasallus non aliter feudum pigno-  
ratitium habere velit, quam, vt feudum perpetuum inde  
constituatur? Alterum fundamentum contrariae opinionis  
supposito nititur, ac si feudum pignoratitium, post aliena-  
tionem, feudi qualitatem retineat, cuius rei falsitatem §. an-  
teced. III. iam demonstraui; pariter et ibi responsionem ad  
tertium argumentum inuenire est. Quartum autem magis  
arduum videtur, attamen nec de eius confutatione, despero.  
Affero, creditorem, expressa conuentione, iuri, distrahendi  
pignus, renunciare posse, ius distrahendi ad effectus pignoris  
refertur, pignus in fauorem creditoris constituitur, quilibet  
autem fauori, pro se introducto, renunciare valet<sup>s</sup>; neque  
in iure dispositum legitur, quod creditor iure, distrahendi  
pignus, se abdicare, prohibeatur, potius eiusmodi renuncia-  
tionem, *Vlpianus*<sup>t</sup> validam, et creditorem, contra istam  
pignus alienantem, furti reum, existimauit. Neque nocet,  
quod tamen, contra renunciationem iuris distrahendi, pignus  
alienari possit, siquidem istius rei haec est ratio, quod de-  
bitor,

<sup>r</sup>) cit. L. 4. de pigner. act. et L. 3. C. de iur. dom. impetr.

<sup>s</sup>) L. pen. C. de pass.

<sup>t</sup>) in L. 4. ff. de pigner. act.



bitor, cui trina denunciatio facta, in solutione cessans, a remissione iuris distrahendi, quam peregit creditor, recessisse, et creditori potestatem alienandi concessisse, praesumatur. Quae contrariae debitoris voluntatis praesumptio, certis requisitis, inter quae et hoc extat, ut pignus ad debitorem pleno dominio spectet, adstricta, ad alium casum non patitur extensionem. Vltimum denique opinionis contrariae argumentum inde corrui, quod Dominus, in oppignorationem feudi consentiens, de iure suo remiserit, talis autem remissio non deprehenditur, si debitor creditorem, de re oppignorata, inuestiat.

## §. V.

Quamvis itaque, feudi pignoratitii alienatio in dubium vocari possit, rectius tamen eius defensores agerent, si totam quaestionem: An feudum pignoratitium distrahere permiffum? otiosam iudicarent, cum cuilibet Vasallo, refutatione, nexu feudali se liberare, liceat <sup>u)</sup>, proin et Vasallus, feudum pignoratitium possidens, ista ad effectum uti, valeat, ut qualitas feudalis finiatur, eaque finita, rei oppignoratae distractio, secundum iuris communis praescriptum, suscipiatur. Equidem *Stryck* <sup>w)</sup> Vasallo feudi pignoratitii refutationem, eo tendentem, ut pignus distrahere queat, negavit, et suae assertionis fundamentum ita construxit: Inter requisita iustae refutationis foret, ut tempestive, nec in fraudem alterius perageretur, quod autem feudi pignoratitii refutatione negligi videretur, cum ius Domini parum securo loco esset, dum refutare feudum, nullum exigeret laborem, et ita Dominum, vsuraria prauitate, decipere. Verum ratio ista, facillimo negotio, diuelli potest. Vasallus, feudum pignoratitium ideo refutans, ut pignoris distractio procedat, fraudis

*Quaestio: an feudum pignoratitium distrahere permiffum, est otiosa. Refutatio feudi pignoratitii est concessa.*

B 3

u) II. F. 38.

w) in alleg. Disp. Cap. IV. n. 15.



fraudis argui nequit, simulationis, et consilii decipiendi est alienus, animum actui, Legibus permisso, intendit, neque superfluum pretii, ex venditione pignoris redacti, cupit, sed debitori reddere, est paratus.

## §. VI.

Sed haec obiter. Castra igitur eorum, qui feudum pignoratitium defendunt, nunc defero, et contrariam opinionem, feudum pignoratitium statui, non posse, propugno. Hanc assertionem duplici modo firmo, rationem, quae feudum pignoratitium labefactat, demonstro, et fundamentis, quibus id defenditur, remouendis, impendo operam. Rei propriae pignus non consistere, neque pignus perseverare posse, domino constituto creditore, docet *Vlpianus* et *Paulus* <sup>x</sup>. Haec thesis, in iure feudali, nullibi mutata, quare ad materias feudales recte trahitur <sup>z</sup>. In feudo, vasallo competit dominium utile <sup>a</sup>, hinc feudum, Vasalli res propria, dici potest, et concludendum, quod pignus creditori in feudum dari, nequeat. Nec nocet, quod et in iure communi reperiat casus, ubi in vna eademque re, et pignore, et dominio, aliquis gaudeat, vti vxor in rebus propter nuptias donatis <sup>b</sup>, siquidem distinctio inter dominium, iure singulari, et communi quaesitum, dubium hocce ita tollit, vt vxori, praeter hypothecam tacitam, dominium in re, ob nuptias donata, ex iure singulari tribuendum, in Vasallum autem, non iure singulari, sed per inuestituram, dominium transeat.

## §. VII.

x) L. 45. ff. de R. I. et pen. in fine de except. rei iudicatae.

z) H. F. 1.

a) H. F. 8.

b) L. 12. §. 2. C. qui pot. in pign. Auth. permissa C. de donat. ante nupt. L. 29. C. de iure dot. Nou. 97. C. 6.

*Ordo thematis tractandi traditur.*

*Rationes adducuntur, quae feudum pignoratitium labefactant.*



## §. VII.

Triplacis generis fundamenta apparent, quibus feudum pignoratitium Dd. corroborare, nituntur. Quidam ad Ius Longobardicum <sup>c</sup>, alii ad Ius Germanicum <sup>d</sup>, alii ad mores <sup>e</sup>, prouocant. Quae omnia ordine confutabo. Ex Iure Longobardico textus I. F. 4. §. 4. I. F. II. I. F. 27. *Textus I. F. 4. I. F. 28.* proferuntur. Verba textus I. F. 4. §. 4. ita se <sup>§. 4. exponitur.</sup> habent: *Similiter si aliquis possederit castrum vel aliam rem, et Dominus dixerit: se pro pignore ei dedisse, e contrario ille dixerit: se accepisse pro feudo, si potuerit Dominus probare, quod ei pro pignore dedisset: tunc ille, qui tenet, Domino restituet, vel probet supra dicto modo, se, postquam a Domino pro pignore accepit, feudi nomine accepisse, et si Dominus non poterit probare, se nomine pignoris dedisse, erit defensor illius, qui possidet.* In textu isto, feudi pignoratitii nullum extat vestigium, sed casus proponitur, vbi inter duos, de feudi qualitate, est contentio, vnus eam negat, et bona fide asserit, ex causa pignoris rem dedisse, rem possidens autem, se inuestitum esse, ait. Priori agenti probare imponitur, ex causa pignoris, possessionem in reum transtulisse. Hocce probato, reus, rem restituere, aut demonstrare, iubetur, se inuestitum esse. Vt autem termini habiles huius condemnatoriae conspiciantur, supponendum, in adducto casu, debitum, in cuius securitatem pignus constitutum, extinctum esse, alias reus, in restitutionem rei, condemnari, haud posset, cum et iura Longobardica, debito nondum soluto, retentionem pignoris concedant, quo ipso, satis euictum, in textu allegato, de re, quae pignori adhuc obligata, in feudum data, neuiquam esse ser-

monem,

e) Krupp in cit. disp. Cap. II. n. 1.

d) Marbach in alleg. disp. Cap. II.

e) Stryck in Disp. cit. Cap. I. n. 22



monem, bene tamen de feudo, in re, nexus pignoratitii vacua, constituto.

## §. VIII.

Textus I. F. II.  
explicatur.

Textus I. F. II. sequentia tradit: *Similiter, si quis voluerit dicere de pignore sibi dato se inuestitum esse, non credatur suo iuramento, sed testibus idoneis, paribus domus vel curiae.* Fortius argumentum, quare Feudum pignoratitium, Iure Longobardico, defendi possit, in Rubrica textus latere, *Stryck* <sup>f</sup> autumat. De pignori dato feudo quid iuris sit, agit; Vnde *Stryck* colligit, per pignori datum feudum, supponi, pignoris feudique iura, in eadem re simul constituta. Suspectam autem, rubricam textus *Stryck* iudicat, ad *Aluarottum* <sup>s</sup> et *Cuiacium* <sup>h</sup> prouocans. Verum, etsi rubrica textus genuina foret, *Stryckii* illatio tamen non subsisteret, verba: pignori datum feudum, oppignoratum feudum expriment, cum res, pignori data, pro oppignorata, capienda, neque vlla probabilitas appareat, verba, mox allata, feudum, in re, adhuc oppignorata, constitutum, continere. De textu ipso monendum, factum proponi, vbi tenens rem, quam Dominus sibi reddi, petit, asserit, se antea istam, ex causa pignoris, possedisse, hac autem finita, inuestitum esse, quae asseritio Dominum, onere probandi eximit, idque in reum transmittit <sup>i</sup>. Haec explicatio satis euincit, rubricam cum textu neutiquam conuenire.

## §. IX.

f) in cit. disp. Cap. I. n. 23.

g) qui in tractatu suo de Feud. p. 43. his vtitur verbis: Quidam habent hic Rubricam, talem videlicet, de pignore feudi, et male. Quoniam nulla debet hic esse rubrica, sed est §. qui continuatur cum superioribus.

h) vbi Lib. I. de feudis textus noster Tit. VI. est iunctus.

i) Quod in §. antec. aliter se habebat, ibi enim rei confessio Domini intentionem non adiuuabat, quare nec onus probandi actor declinare poterat.



## §. IX.

Textus I. F. 27. huius est tenoris: *Si quis obligauerit aliquam rem pignori, eo pacto, ut, si statuto tempore pecunia soluta non fuisset, res esset creditoris, et eam pro feudo habeat, potest debitor quodcumque pecuniam soluendo, pacto non obstante, pignus recuperare: Feudum enim, non sub praetextu pecuniae, sed amore et honore Domini acquirendum est.* Textus I. F. 27. enucleatur. Istum autem locum iuris Longobardici sententiam meam magis adiuuare, quam labefactare, existimo. Summa eius est <sup>k</sup>: Feudum ex Lege commissoria, pignori adiecta, ortum ducere, non posse, ratio huius sententiae subiicitur talis: Feudum enim non sub praetextu pecuniae, sed amore et honore domini acquirendum est, cuius rationis vim, *Cuiacius* <sup>l</sup> ita exprimit: quia haec conuentio est contra naturam feudi, quod originem ex beneficio et amicitia trahit, non ex pecuniae, sua die non solutae, multatione. Quod *Bitschius* <sup>m</sup> explicatius hoc modo proponit: Quae conuentio contra ipsam naturam feudi est, illa merito improbat, atque reiicitur. Atqui conuentio ista, cum fundus allodialis, sub ea Lege, pignori datur, ut, pecunia, statuto tempore, non soluta, creditor eum iure feudi retineat, est contra naturam feudi. E. Conuentio ista merito improbat, atque reiicitur. Cui omnino consequens, pignoris feudique ius, in vna re, vni competere, non posse, si enim, sub praetextu pecuniae, pignus ad obiectum feudi ea ratione trahi non potest, ut in locum pignoris feudum succedat, quod necessario admittendum, si pactum commissorium effectum produceret, pariter qualitas feudalis pignori ita tribui, nequit, ut huius effectus illibatus maneat, quia

<sup>k</sup>) In editione Cuiaciana textus nostro, qui est Tit. XXIX. Lib. I. haec rubrica praemissa: de feudo dato Lege commissoria.

<sup>l</sup>) cit. loc.

<sup>m</sup>) ad text. I. F. 27. p. 205.



quia in tali constitutione feudi, respectus ad pecuniam, pro qua res oppignorata, utique habendus. Et licet quis obiciat, quod inter casum, ubi pignus, vi adiectae Legis commissoriae, finiendum, eoque finito, feudum constituendum, et casum, ubi pignori feudum iungitur, insigne intercedat discrimen, siquidem priori, feudum pro pecunia, in cuius securitatem, res pignori obligata, quasi emta, posteriori autem, in maiorem securitatem tantum infeudatio accedat; responsio tamen est in promptu: et hoc casu, pecuniae interuentu, feudum comparatur.

## §. X.

*Geninus sensus textus I. F. 28. indigitatur.*

Restat, ut genuino sensui textus I. F. 28. indigitando operam impendam. Sequentia ibi leguntur: *Quidam obligauerat terram quandam suo militi: deinde cum filius sui Domini, longum post tempus, pecuniam offerendo, pignus liberare voluisset: Filius militis contendebat, patrem suum a Domino suo defuncto de praedicto pignore inuestitionem feudi accepisse. Vnde viri prudentes Mediolanenses interrogati laudauerunt, in electione filii militis esse, cum XII. sacramentalibus iurare, patrem suum vel se a Domino suo per inuestituram praedictam terram tenuisse: ita ut per XXX. annos contestatio pignoris a parte Domini aduersus ipsum vel patrem suum facta non fuisset. Si autem ipse iurare noluerit: filius defuncti domini necesse habet, iurare cum XII. sacramentalibus, defunctum militem inde per feudum inuestitum non fuisse. Quod si ita iurare recuset, inuestire ipsum filium militis domini filius de iam dicta terra per feudum debet.* Species facti, hisce verbis inclusa, ita concipienda: Dominus vasallo suo pignori dedit fundum, a nexu feudali liberum, elapso triginta annorum spatio, quod in textu longum " audit, Domini in-

terea

n) Feudista enim tantum spatium annale et tricennale compertum habet



terea defuncti filius, fundum illum reluere, cupit, eumque in  
 finem, pariter defuncti creditoris filio, pecuniam, pro qua  
 fundus oppignoratus, actu offert, hoc autem, pecuniam ac-  
 cipere, et rem reddere, recusante, debitam actionem mouet.  
 Reus excipit, fundum, pignoris nomine datum, postea in  
 feudum concessum esse, itaque non se, aut patrem suum,  
 sibi causam possessionis mutasse, sed ipsum Dominum. Huic  
 facto talis subiicitur decisio, quod ad iuramentum confu-  
 giendum; ita, vt reus iurisiurandi conditionem eligere,  
 valeat, eo autem iurare nolente, actori iuramenti praestatio  
 iniungenda. Ex quibus fatis apparet, ne minimam feudi  
 pignoratitii coniecturam, in hoc textu, extare.

## §. XI.

Qui feudi pignoratitii praesidium, in iure feudali Ger-  
 manico, quaerunt, tum Ius Saxonicum commune, tum Ale-  
 mannicum, in auxilium vocant. Ex illo Cap. 55. ex hoc  
 Cap. 27. 54. et 98. commemorant <sup>P.</sup> Textus iuris feud. *Cap. 55. Iuris*  
 Saxonici, in quantum huc spectat, sequentis est tenoris: *Feudal. Saxon.*  
**Würde einem Mann auf seine Treue ein Gut gelie-**  
**hen, das dem Herrn versetzt wurde, mit diesem Be-**  
**ding, daß er es dem Herrn wieder antworten und**  
**auflassen wolle, wenn es der begehret, oder der Mann,**  
**des das Gut ist, solches zu bescheidener Zeit wieder**  
 C 2 lösen

habet II. F. 26. §. Titius et §. si quis. Et spatium X. vel XX. an-  
 norum, quod in iure ciuili longum vocatur, t. t. C. de praescrip-  
 long. temp. X. vel XX. ann. ignorat.

o) *Bischofius* quidem ad hunc locum p. 208. autumat, actori, pignus ante  
 omnia probare, incumbere, et, eo non probato, iuramentum locum  
 sibi vindicare. Verum *Bischofii* opinio in textu nequiquam praesidium  
 inuenit, potius diserte reprobatur, vt decisio, hic proposita, ab ea, quae  
 I. F. 4. traditur, distincta esse, queat. *Bischofii* sententia autem ad-  
 missa, nullum discrimen reperire est.

p) *Marbach* in disp. alleg. §. 2. *Schiltner* in Inst. Iur. Feud. c. IX.  
 §. XXV.



lösen möchte, so mag es auch der Herr wieder lösen und an sich bringen, wenn er will, und mag es auch wohl lösen. Stirbet aber der Mann, der dem Herrn das Gut versetzte, vor der Wiederlösung, ohne Erben, das Gut würde dem Herrn ledig, und der Herr ist denn die Wiederlösung daran zu thun, niemandes pflichtig. Vis argumenti, ex hoc capite petiti, videtur, esse talis: Dominus cum nexu feudali, pignus, ab altero acceptum, in aliquem transferre, valet. Ergo multo magis ius pignoris, et feudi, in re propria, tribuere potest. Verum recte regeritur, feudi pignoratitii terminos, in capite isto, non reperiri, sed de alio casu, agi. Pignoris ius in inuestitum transiisse, ne iota quidem asseritur. Potius facti species ita proponitur: Vassallus feudum suum Domino pignori dat, de isto, non vt pignore <sup>1)</sup>, sed re, quodammodo propria <sup>2)</sup>, expressa origine, vnde res ad oppignorantem peruenta, Dominus alium, certi quid soluentem, cum pacto adiecto, vt, si hoc praestitum, vel a Domino, vel Vassallo oppignorante, suo tempore restituatur, rem reddere, sit obligatus, inuestit. Euenit autem, vt Vassallus oppignorans, sine heredibus feudalis, decedat, vbi praesens possessor feudi, hoc, Domino gratis tradere, iubetur. Cuius decisionis haec dari potest ratio: rem possidenti notum, quod eam, non tanquam, irreuocabili iure, Domini propriam, sed vt rem, ab habente ius limitatum, in Dominum translata, consecutus sit, vnde omnino concluditur, quod iure isto, ex quo res in Dominum transire potuit, finito, et accipientis ius finitum esse, debeat <sup>3)</sup>. Neque obstat, quod illum, quem

1) Alias conuentio adiecta, qua luitio reseruata, superflua fuisse.

2) Thesin: Iure Germanico, dominium pignoris in creditorem transire, pluribus rationibus defendit Illustr. a Meier im Tract. von der Rechtsmäßigkeit des sechsten Zins-Ehalers in Deutschland.

3) Arg. l. 31. ff. de pignor.



quem tenet actio de euictione, agentem repellat exceptio<sup>1)</sup>; et Dominus, si feudum euincatur, Vafallo euictionem praestare, sit obstrictus<sup>2)</sup>, cui consequens esse videatur, Dominum, in allato casu, rem, in feudum concessam, sub praetextu, quod eam irreuocabiler acquisiuerit, a possessore petere, haud posse, siquidem recte negatur, Dominum, in exhibita specie facti, ad euictionem praestandam, compellendum esse, quemadmodum et venditor emtori indicans, rem esse alienam, ab eius praestatione est immunis<sup>3)</sup>.

## §. XII.

Cap. XXVII. <sup>x</sup> Iuris Feudalis Alemannici, pariter et LIV. <sup>z</sup> de oppignoratione feudi agunt, vti quilibet, qui ea vel obiter perlustrat, mihi adstipulabitur, hinc operae pretium non est, tenorem eorum hic inferere, potissimum, cum, moribus nostris, hypotheca feudalis, ex consensu Domini tacito, quem prior textus exhibet, robur haud nanciscatur<sup>a</sup>. In Codice quidem Iuris Alemannici, quem *Schilterus* publici iuris fecit, rubrica Capituli 56. feudum pignoratitium continet, verum ita, conuenientiam inter rubricam, et textum non apparere, dubio caret.

*Explicatio  
Cap. 27. et 54.  
Iur. Alemann.  
traditur.*

## C 3

## §. XIII.

- †) L. I. pr. ff. de except. rei venditae et trad.  
 u) II. F. 8. pr. et 25. neque obstat, quod feudum sit beneficium atque donatio II. F. 23. et circa rem donatam euictio cesset L. 2. C. de euict. siquidem super feudo constituendo, non donatio, sed contractus peculiaris, initur, quippe qui, Dominum ad euictionis praestationem, adstringit.  
 w) L. 27. C. de euict. imo II. F. 8. pr. dispositio expressa legitur: qui alienae rei, sciens, inuestituram accepit, nisi pacto speciali sibi prospexerit, de euictione agere, non poterit.  
 x) In Codice Iuris Alem. a *Schiltero* edito, est Cap. 26. ego editione *Bürgermeisteri* usus sum.  
 z) In Cod. *Schilteriano* est Cap. 56.  
 a) *Horn* in Iurispr. Feud. Cap. XIX. §. III.



## §. XIII.

Cap. 98. Inv.  
Feud. Alem.  
applicatur.

In Cap. 98. <sup>b</sup> Iuris Alemannici haec leguntur: Der ihm selber saget Lehn und Sazung an einem Gut mit einander, der saget unrecht, denn Lehen mag nicht Sazung gesehn, also mag Sazung nicht Lehen gesehn. Da Sazung geschehen soll, daß es helff, das muß geschehen von des Herrn Hand und vor seinen Mannen. So der Herr seinen Mannen leihet, und sind seine Mannen nicht dazugegen, das mag dem Mann nicht geschaden, anders dann ob der Herr läugnen will, er muß je sein Lehen erzeugen, gegen seinen Herrn, mit seinen Mannen. So der Herr dem Mann das Lehen leihet, und sind andre Leut dabey, dann des Herrn Mann und spricht der Herr zu seinen Mannen: Ich gib euch das Recht, daß ihr alle an meiner statt sind und das Recht haben, daß ihr ihm Gezeugen sind in Lehen-Recht, ob es Noth geschēch, das ist nicht recht, dann als wir euch bescheiden. Hat der Herr nicht siben Mann, die Lehen von ihm haben, so mag er jenes wohl thun. Geliehen Sazung ist weder Lehen noch Sazung. Wenn man sein Gewär mit Gewalt nimmet, der verleuret weder Lehen noch Gewär, wenn man auch sein Lehen mit Gewalt nimmet, der verleuret auch weder Lehen noch Gewalt. *Priora verba, non feudi pignoratitii defensionem, sed fundamentum meae opinionis, tradunt, quod versio latina clarius reddit, dum §. I. disponit: Qui pariter ius feudi et ius pignoris in eodem fundo sibi asserit, perperam facit, neque enim pignus feudum esse potest, neque feudum pignus, et §. 5. Feudum pignoratitium neque feudum est, neque pignus. Quamuis autem, hisce verbis, fati defendi possit, feudum*

b) Quod in Cod. Schilteriano est Cap. 100.



pignoratitium non dari, *Schilter* tamen <sup>c</sup>, feudum pignoratitium demonstrare volens, ad hunc Textum prouocat, eidemque explicationem subiicit, quod in feudo pignoratitio, non feudum simpliciter, et pignus nudum, sed res, ex utroque mixta, statui debeat. Verum, hanc expositionem cum textu pugnare, autumo, disertis verbis sancitum legitur, in eodem fundo, ius, ex iure feudi et pignoris constans, ideoque mixtum, admittendum haud esse. Interim, primo intuitu, non videtur negandum, appellationem feudi pignoratitii in Cap. allegato, verb. *geliessen Saßung*, occurrere, dum vox: *seyhen*, inuestire, et vocabulum: *Saßung*, pignus denotat, sed tantum abest, vt per verba: *Geliessen Saßung*, feudum pignoratitium, vt potius, rem ita intelligam, si creditor de re, sibi oppignorata, aliquem inuestit, audit *geliessen Saßung*, rei enim cohaeret qualitas pignoris, eiusque translatio, mediante inuestitura, facta. Pariter ea, quae post ista verba sequuntur, ad applicationem ita trahenda, vt neque feudum, neque pignus extare, existimetur. Feudum ideo negatur, cum contra ipsius naturam sit, rem ad tempus tantum habere, quod tamen non euitandum, si creditor rei oppignoratae inuestituram, iure reluendi illibato manente, peragat, pignoris autem cessantis causa est haec, quia de translatione pignoris, inter Dominum et Vassallum, non conuentum.

## §. XIV.

Tandem in mores, ex quibus Dd. feudum pignoratitium

- Negatur moribus feudum pignoratitium fundatum esse.*
- ε) In eius aureo Commentario ad Ius Alem. Cap. C. vbi ita disserit: De hoc dicit noster: quod neque sit feudum, neque hypotheca, sc. mera, sed est res, ex utroque mixta. Atque hoc vocatur communiter feudum pignoratitium, *Pfandlehen*, cuius differentia specifica consistit in eo, quod, praeter contractum principalem crediti, et accessorium oppignoracionis feudi, etiam accedit inuestitura de feudo oppignorato, ad hoc, vt dominium vtile transeat, sed reuocabiliter, vsque ad relutionem,



titium paulo accuratius considerantes, huius fundamentum deriuant, inquirendum. Mores non praesumi, sed probatione egere, est res, extra dubitationis aleam posita<sup>d</sup>. Inde praesens feudi pignoratitii fundamentum, tam diu merito in dubium voco, quam diu mores, quibus nititur, non demonstrati. *Schilterus*<sup>e</sup> feudi pignoratitii exemplum ex documento veteri, ex Codice MS. ab ipso excerpto, communicare, allaborauit. Veritatem documenti missam facio, tantum de genuino eius sensu, ero sollicitus. Vnde tenorem apponere, liceat: Sine hochwerdigen Fursten Rupprechte von gots gnadin Pfalzgr. by Rine und H. zu B. und allen den die disen brief sehent und horent lesen, Tun ich Heinrich der junge Herre zu Erenberg kunt. Den Turn und das Backhus, das darane stet und des Egils hus und der alte stal, der hinder des Egels hus liget, das mir Herr Heinrich der alde min Oheim H. zu Erenb. versazt hat und mir pfandes stet, und der Mur von hern Einutz hus die unfer beyder war, die er mir erblich gegeben hat und des wir briefe undir ein han: das sol ich Heinrich der junge vorgehen. zu lehen haben und halten von mine herrn den vorschriben Fursten als min ander gut. das ich von im zu Lehen han als lange bisz das der vorgehen. H. Heinrich der alte min Oheim odir sin Erbin dasselbe gut gelofent umb mich odir mine Erbin. Das dis veste und stete sy und blibe, so han ich H. der junge vorgehen. min Insigel an diesen brif gehangen. Der geben wart M. CCC. XXXIX. Lun. vor S. Joh. tage des H. Touffers. Contextus fatis docet, feudi pignoratitii ne minimum vestigium apparere. In eo omnes Dd. feudum pignoratitium statuentes, conueniunt, ius feudi et pignoris, ex quo illud constat, ab vno ortum

d) L. 34. ff. de LL. *Tabor* loc. com. Jurispr. Cap. CV. §. II.

e) In *Commentatio ad ius Alemann.* Cap. C.



ortum trahere; Documentum autem alium autorem pignoris, nempe Henricum seniore, alium Dominum directum feudi, Comitem Palatinum Rupertum, exhibet; Hinc non abs re colligo, Documentum casum tradere, vbi Henricus iunior rem, pignori acceptam, Comiti Palatino Ruperto in feudum obtulisse, consecutaque inuestitura, literas Reuerfales, qualitatem feudi restantes, Domino tradidisse <sup>f</sup>.

## §. XV.

Et quamvis B. *Lunigius* in Corpore Iuris Feudalis Germanici <sup>3</sup> formulam, qua Domini, feudum pignoratitium in perpetuum permutantes, vti soliti essent, communicet sequentem: Also daß wir noch unsere Erben, noch jemand anders die benannte Schloß, Städte, oder Dörfer u. von ihn, noch ihren Leibes-Erben, das Eddhne seyn für und für nicht lösen, noch sie davon entsehn noch bringen sollen, doch also und mit solchem Bedinge, ob dieselben N. von N. ohne eheliche Leibes-Erben, das Eddhne wären für und für mit Tode abgiengen, daß dann dieselbe Herrschafften, Städte, Schloß und Dörfer u. all und jeglich mit solchen ihren Zugehörungen wiederum an uns, oder ob wir nicht wären, an ander unser Erben lediglich und ganz ohne Lösung, Rehrung und Bezahlung fallen sollen, ohn aller ander ihrer Erben und Mannliches von ihrentwegen Irrung und Widersprechen, als sie sich dann deswegen gegen uns und unsere Erben verschrieben haben. Und wir und unsere Erben wollen darum ihre gnädige Herren seyn, und sie dabey für Ansprach handhaben, schügen und schirmen, getreulich und ungefähre-

*In formulam feudi pignoratitii inuestituræ, quam Lunigius communicat, inquiratur.*

f) *Abasu, Fritsch* in tr. de literis Reuerfalis Cap. VIII. §. II. commemorat, vtu ac moribus Germaniæ receptum esse, præter iuramentum, etiam a Vasallo literas Reuerfales, ein Lehn-Reuers, Domino dari.

g) Tom. III. n. CLXXI. p. 866.



ungefährlich, sie sollen auch uns und darnach unsern Leibes-Erben, das Söhne seyn, und wir die gewinnen, für und für, und niemands mehr mit denselben Herrschafften, Städten, Schlosse oder Dörfern ic. gehorsam und gewärtig seyn, und Uns die zu allen unsern Nothdurfften offen halten, Uns und die Unsern, die wir dazu schaffen, darinnen und darauß zu lassen, und darinnen zu enthalten wieder männiglich, niemand ausgeschlossen, doch in unser selbst Kosten und Zehrung, und ohn ihren mercklichen Schaden, auch alles getrenlich und ohne Gefährde ic. concedaturque, vñm formulae nulli dubio obnoxium esse; inde tamen mores, feudum pignoratitium firmantes, deducere, non est. Charta ista non docet, creditorem, de pignore antea inuestitum, loco feudi temporarii, perpetuum consecutum esse, sed conuentionem, inter debitorem et creditorem initam, qua pignus defuit, eiusque in locum ius feudi successit, exhibet.

## §. XVI.

*Demonstratur  
ex feudo pi-  
gnoratitio nul-  
los effectus  
fluere.*

Priori parte Thematis fati, vt opinor, enucleata, ad alteram me nunc accingo, vbi feudum pignoratitium fingens, demonstrabo, iura quaedam feudi ad feudum pignoratitium plane non quadrare, quaedam e contrario ad feudum pignoratitium trahenda, cum pignoris effectibus conuenire.

## §. XVII.

Feudum pignoratitium accessorium ad principale, debitum se. in cuius securitatem constitutum, reputari, in confesso est <sup>h</sup>. Accessorium autem sequitur naturam sui principalis <sup>i</sup>, et plus non potest esse in accessorio, quam principali <sup>k</sup>, inde necessario fluit, ex feudo pignoratitio iura

h) Stryck in cit. disp. Cap. IV. n. 3. Marbach cit. loc. §. IV.

i) Cap. 42. d. R. I. in 6to.

k) §. 5. Inst. de fideiuss.



iura tantum deriuanda esse, quae ad principale, debitum *Ex feudo pignoratitio iura tantum deriuanda, quae ad debitum referri possunt.*  
 puta, eatenus referri possunt, vt huic maior securitas affe-  
 ratur, et feudi iurium, quae eo trahi nequeunt, applicatio-  
 nem cessare. Quod ex sequentibus clarius apparebit. Va-  
 fallus omnis generis fructus ex feudo irreuocabiliter perci-  
 piendi <sup>l</sup>, fructus anni, quo factis concedit, certa ratione, ad  
 heredes transmittendi <sup>m</sup>, thesaurum, in fundo feudali in-  
 uentum, pleno iure capiendi <sup>n</sup>, gaudet potestate. Quae  
 iura cum feudo pignoratitio connexa haud sunt: Emolu-  
 menta ex feudo irreuocabiliter percipere, fructus anni, quo  
 vasallus diem suum obiit, ad heredes transmittere, thesau-  
 rum inuentum pleno iure lucrari, sunt actus, ad debitum,  
 in cuius securitatem feudum pignoratitium constitutum,  
 respectum non habentes, nec utilitatem ipsi concilians,  
 potius alieni, et plane aliud, quam in debito est, continen-  
 tes. Et licet quis obiicere velit, quod non omnia feudi pi-  
 gnoratitii iura ad debitum, in cuius securitatem illud con-  
 stitutum, accommodare, sit necesse, sed sufficiat, securitatem,  
 ex feudo pignoratitio fluentem, debitoque accedentem, ex-  
 tate, qua extante, alii effectus, quos feudum pignoratitium  
 adhuc gigneret, creditori inuidendi non forent; meam tamen  
 sententia firmo stat talo, dum, huius obiectionis habita ra-  
 tione, effectus feudi pignoratitii in duas dispescendi essent  
 classes, et quidam ad debitum, quidam ad aliud vasalli com-  
 modum

## D 2

l) II. F. 23. verb. vsusfructus vero.

m) Aliter iure Longobardico II. F. 28. §. his consequenter etc. aliter Saxonico iur. Prou. Cap. II. Lib. II. art. 58. Conf. El. XXXII. p. III. transmissio fructuum fieri solet. Standum tamen etiam in foro Saxon. dispositione iuris Longobardici, intuitu aliorum fructuum industrialium, qui rationem, rationem, non requirunt v. c. iuris coquendi cereuisiam, venationis, Lapidinarum, creufodinarum etc. Carpz. ad cit. Conf. def. 9.

n) Arg. II. F. 1. §. 39. I. de R. D. neque aduersatur Cap. II. Lib. I. art. 35. dum de metallifodinis agit. Conf. Elef. LIII. p. II.



modum trahendi. Verum applicatio huius distinctionis corrumpit: collatione enim huius §. cum sequent. §§. instituta, omnes effectus feudi pignoratitii, debito inferuentes, euanescent. Feudum itaque pignoratitium non alios effectus, quam commodum Vasalli, seorsim spectatum, promouentes, exhibet, quod autem feudum pignoratitium defendendi, idoneam non praebet causam, cum feudum pignoratitium in maiorem securitatem debiti constituitur. Proinde feudi pignoratitii assertorem ad ipsius effectum, debitum respicientem, nec antea apparentem, indicandum, prouoco. Quod si prouocatus, perceptionem fructuum ita intueri, ut vasallus intuitu vsurarum, ob vsum debiti exigendarum, indubitatam securitatem consequatur, indeque effectum ad debitum tendentem demonstrare, velit, rehero, discrimen faciendum esse, an cum vasallo conuentio inita, ut fructus, loco vsurarum, ipsi cedant, an nihil conuentum? Priori casu, fundamentum rei, non in feudo pignoratitio, sed pacto adiecto, quaerendum, et tunc idem iuris est, quod circa pactum antichreticum, pignori adiectum, obtinet; Posteriori autem, perceptio fructuum cum debito et vsuris, inde soluendis, nullam inuoluit cognationem, sed sunt separata, nisi ex pignore naturam feudi pignoratitii eo interpretari, velis, ut fructus in vsuras imputandi, et redditus rationibus, quod excedat, singulis annis detrahendum forti<sup>o</sup>; sed hac ratione, termini praeter necessitatem multiplicentur, cum talem effectum pignus iam comprehendat.

## §. XVIII.

*Ius, vi cuius  
Dominus delicti  
Vasallum* Pergo in remouenda iurium feudi applicatione ad feudum pignoratitium. Notum est, Dominum delicti Vasallum non

o) L. 3. C. de pigner. act. L. 8. ff. in quib. caus. pign. vel hypoth. taccite contr.



non accusare <sup>p</sup>, testimonium contra ipsum non dicere <sup>q</sup>, iuramentum calumniae ab eo non exigere <sup>r</sup> posse, potius fidelitatem, in protectione et defensione consistentem, isti praestare, obligatum esse. Haec iura debito, in cuius securitatem feudum constitutum, nullam creant vtilitatem; hinc ea numero iurium, feudo pignoratitio cohaerentium, eximo. Quid enim, quaeso, ad debitum, cuius accessorium feudum pignoratitium est, facere potest, quod creditor a debitore nullam criminis postulationem, non aduersum testimonium, non sinistram suspicionem <sup>s</sup>, metuere debeat? Neque obstat, omnino vtilitatem, debitum afficientem, inde deriuari, quod creditor, debitorem ad solutionem praestandam conueniens, et iuramentum deferens, a praestatione iuramenti calumniae sit immunis; siquidem ego utilitatem ne quidem creditoris inuenire, valeo, debitum non citius, non facilius exigitur, iuramento calumniae creditori remisso. Et quid multa? Debitor non praesumitur, contra datam fidem, debitum, a creditore acceptum, negare; E. iuramento calumniae non opus, neque facile casum concipere possum, vbi creditor, de re oppignorata inuestitus, ad iuramentum confugere, necesse habeat, si actionem debitori inuestienti intendat, dum debitum per instrumentum, super inuestitura confectum, vel pares curiae, qui actui inuestiturae interfuerunt, optime probari posse, dubio vacat.

## §. XIX.

Rationibus actoris conducit, onus cautionis praestandae declinare, varia incommoda ipsius praestatio secum trahit.

D 3

Declinari

p) a. H. F. 33. §. similiter etc.

q) arg. c. l.

r) H. F. 33. §. in quibus etiam.

s) Qui iuramentum calumniae ab aliquo exigit, non quaenis optima cogitat; qui autem iuramentum calumniae non poscit, aliquid iniusti non praesumit.



Declinari autem potest, vel ob naturam Processus, vel quod actor sit possessionatus. In Processu Cambiali<sup>t</sup>, matrimoniali<sup>u</sup> et qui in causis minutis<sup>vy</sup>, in terris Saxonis El. locum sibi vindicat, cautio postulari nequit. Quaestionem: Quisnam possessionatus reputandus? tum ius civile<sup>x</sup>, tum Saxonicum<sup>z</sup> decedit. Vasallum possessionatum haberi, itaque ab onere cautionis immunem esse, veritati satis consentaneum, quemadmodum et possessionem rei, pignori obligatae, ab onere cautionis non liberare, in aprico est<sup>f</sup>.

*Quod Vasallus possessionatus dicatur, ad feudum pignoratitium trahi nequit.*

Verum hic effectus feudi, feudo pignoratitio proprius dici, nequit, ius vasallo competens, vi cuius possessionatis annumeratur, debitum, cuius accessorium feudum pignoratitium est, non tangit. Neque me mouet, quod onere cautionis remisso, debitum facilius exigi queat, quae enim facilitatem conueniendi promouent, ad commodum creditoris, non securitatem debiti, spectant.

## §. XX.

*Effectus feudi pignoratitii ad debitum respicientes cum effectibus pignoris conueniunt.*

Tandem deducere mihi incumbit, quod effectus quidam feudi pignoratitii, ad debitum respicientes, cum effectibus pignoris conueniant. Rei per beneficium recte inuestitae vasallum hanc habere potestatem, vt tanquam Dominus possit a quolibet possidente sibi quasi vindicare, ius Feudale Longobardicum diserte disponit<sup>b</sup>, et remedium iuris, hisce

t) Excell. Domini Praesidis Tract. Cambial. Sect. I. Cap. IV. §. XXI. not. sub h.

u) B. Gribner. principia Iur. Proc. Lib. II. Cap. III. §. IV.

w) Per speciale Rescr. d. 15. Dec. 1725. conceptum.

x) L. 15. ff. qui satisd. cog. ex qua lege recte colligitur, quod possessio rerum, iuris intellectu immobilium, sc. incorporalium, hic non proficiat, cum res soli alicuius debeat esse propria, si satisfactionem declinare velit.

z) O. P. R. ad Tit. XIII. §. vn.

a) L. 15. cit. §. 2.

b) II. F. 8. §. rei autem.



hifce verbis inclufum, in vtilitatem debiti, in cuius fecuritatē feudum conftitutum, tendere, extra dubium pofitum; poffeffione enim rei, debito fecuritatē tribuentis, amiffa, et fecuritas debiti in periculo verfatur, vnde operae pretium eft, rei amiffae recuperandae ftudium impendere. Tantum tamen abeft, vt vtilem rei vindicationem circa feudum pignoratitium aliquid efficere, vt potius alia media fuppetere, quibus feudi pignoratitii vafallus finem, ex vtili rei vindicatione ducendum, obtinere poffit, fentiam. Hypothecam <sup>e</sup> Interdictum Saluianum directum, et vtile <sup>d</sup>, actio Seruiana et quafi, eum in finem fequere, vt creditor poffeffionem rerum, hypothecae obligatarum, confequatur, nemo negabit, qui vel iurifprudenciam deguftauit. Et autumo, defendi poffe, haec iura creditoris, feudum pignoratitium habentis, commodis magis inferuire, quam vtilem rei vindicationem, ex feudo pignoratitio deriuandam. Fundamentum rei vindicationis, ex parte aëtoris, in dominio confiftit, dominiū probatio autem admodum difficilis eft <sup>e</sup>, creditor e contrario, interdicto Saluiano vtens, tantum probat, rem, pignori obligatam tempore oppignorationis, in poffeffione debitoris fuiſſe <sup>f</sup>, et actionem Seruianam, vel quafi, mouens, fidem facit, rem, tempore hypothecae conftitutaē, in bonis debitoris extitiffe <sup>g</sup>. Grauius hifce obftare videtur, quod  
in

*Interdictum  
Saluianum, et  
actio Seruiana  
vtilem rei vindicationem  
ſuperat.*

- c) Cuius ambitu et pignus comprehendo L. 5. §. 1. ff. de pignor.  
d) Vtile interdictum Saluianum recte datur contra tertium poffefforem rerum coloni, vel alius debitoris, licet a colono, debitoreue non habeat caufam, cum enim Dd. opinione vtile illud interdictum in genere inuentum, nullam rationem inuenire poffum, cur ad eum, qui caufam a colono, vel debitore habet, reſtringi debeat.  
e) Si quidem et autorem meum dominum fuiſſe, probandum L. 20. pr. ff. de A. R. D. ille autem faepe ignotus eft, vel, ſi notus, media probationis ſuppeditare nequit.  
f) Petr. Muller ad Struū. Ex. XLV. th. CLXX. not. ſub n.  
g) L. 15. §. 1. ff. de pignor. In bonis autem dicitur res, quam debitor bona fide et iuſto titulo poffidet. Struū. Ex. XXVI. th. XXXVII.

Et



in rei vindicatione res cum omni causa petatur, finis autem vtriusque remedii, ex hypotheca ortum trahentis, eo spectet, ut res obligata simpliciter auctori tradatur; sed praeter ea, quae §. XVII. in medium protuli, adhuc moneo, fructus quoque hypothecariae contra tertium agenti adiudicandos esse, si res non sufficiat <sup>h</sup>.

## §. XXI.

*Actio confessoria Vasallo competens circa feudum pignoratitium non praebet utilitatem.*

Vasallus, cui seruitutem feudo impositam exercenti impedimentum struitur, actione confessoria gaudet <sup>l</sup>. Quaeritur itaque, an hic effectus feudi cum iuribus pignoris aequari possit? Antequam ad huius quaestionis decisionem me accingam, quaestio praeiudicialis discutienda: an actio confessoria debitum, cuius accessorium feudum pignoratitium est, concernat? Et cum actione confessoria seruitus vindicetur, seruitus autem ad fructuum perceptionem faciat, et iura, cum fructuum perceptione connexa, debitum, in cuius securitatem feudum constitutum, non tangere, §. XVII. pluribus demonstratum dedi, effectus feudi, in actione confessoria consistens, ad feudum pignoratitium commode referri, non potest. Sed concedo, ob pactum antichreticum eo trahendum esse, nihilo tamen minus propugno, actionem confessoriam, ex feudo deriuandam, rem utilitatis egenam in feudo pignoratitio recte reputari, cum *Julianus* <sup>k</sup> iam disposuerit: *ei, qui pignori fundum accipit, non est iniquum, vtilem petitionem seruitutis dari.*

## §. XXII.

*Ius subinfeudandi in feudo pignoratitio caret utilitate.*

Ius subinfeudandi vasallo competere in aprico est <sup>l</sup>, et

Et parum refert, vtrum actionis hypothecariae reus causam habeat a debitore, siue non, nam et posteriori casu, creditor non necesse habet probare, ut res in dominio debitoris fuerit.

<sup>h</sup>) L. 16. §. 4. ff. de pignor.

<sup>i</sup>) Anton. Disput. Feud. XIII. th. V. lit. d.

<sup>k</sup>) In L. 16. ff. de Seruit.

<sup>l</sup>) II. F. 9. pr. Ius Feud. Sax. Cap. XV.



et cum hodie feudum, interueniente pretio, conferre permissum, nullum dubium, quin et subfeudum, dato aliquo, constitui possit, cui consequens est, ius subinfeudandi in tantum circa feudum pignoratitium vtilitatem praebere, vt vasallo, creditori, occasio, solutionem debiti aliunde, quam a debitore, forsitan moroso, consequendi, suppeditetur. Verum enim vero, iura pignoris creditorem huius voti longe melius reddunt compotem: Facultatem pignus distrahendi Leges creditori concedunt <sup>m</sup>, quod autem creditor interdum per certum tempus distractionem pignoris differre, iubeatur, inde ius subinfeudandi praerogatiuam non meretur, potius eam non exigua incommoda, cum subfeudo connexa, a distractione pignoris autem aliena, labefaciunt.

## §. XXIII.

Domino directo non solum iuris sui alienatione certa ratione <sup>n</sup>, verum etiam rei feudalis distractione simpliciter abstinere, iubetur; pignus autem in dominio debitoris manet <sup>o</sup>, et alienatione eius debitori iura non interdicit, itaque ius feudi pignoratitii hac in re, iuri pignoris longe anreferendum. Ast merito negatur, alienationem rei oppignoratae cum praedictio creditoris connexam esse, cum huius ius intactum, illibatumque cernatur <sup>p</sup>.

*Quod Dominus directus alienatione sui iuris, et distractione rei feudalis, abstinere debeat, in feudo pignoratitio non praebet vtilitatem.*

## §. XXIV.

Maximum denique argumentum, quod feudi pignoratitii vtilitatem firmare videtur, tunc emergit, quando super bonis debitoris concursus creditorum oriatur. De summis incommodis, quae, concursu moto, creditores sentiunt, iam olim iustae querelae actae fuere. Bouem lactarium concursum

*Concursu Creditorum super Domini directi bonis orto, feudum pignoratitium ad massam trahentem.*

m) Et quidem inuito debitore L. 2. C. Debit. vendit. pign. imped. non posse.

n) II. F. 34. §. ex eadem.

o) L. 35. §. 1. ff. de pigner. act.

p) L. 8. §. 15. ff. quib. mod. pign. vel hypoth. solu.



cursum creditorum non pauci iudices, litisque curatores habent, atque eum in finem, inuerso axiomate: Quod potest fieri per plura, non debet fieri per pauca, saepius vtuntur. Quae oeconomica Iurisprudencia magnum dispendium temporis, et sportularum augmentum gignit. Quo ipso autem creditores in damna incurrunt, etsi enim plenissima gaudeant securitate, expensas tamen, quas ipsi facere, necesse habent, amittunt, et sportulas, quas iudex, litisque curator lucratur, pro rata soluere, debent, hinc cogitatio eius non vituperanda, qui taedia concursus execratur. Optimum autem medium, molestias, cum concursu creditorum connexas, euitandi, suppeditat dominium; res, non debitoris communis, sed alterius propria, ad massam Concursus trahi nequit, quare, si talis penes debitorem reperitur, a massa separanda, et Domino reddenda, si autem in ipsius Domini custodia iam extet, huic nihil metuendum. Ex quibus colligo, quod, concursu creditorum super Domini feudi pignoratitii directi bonis orto, vassallus, tale feudum possidens, Iudicio vniuersali se immiscere, necesse non habeat, creditor vero, iure pignoris munitus, debitore suo facultatibus labente, ex massa solutionem suam petere, et pignus tradere, recusare nequeat, itaque feudum pignoratitium egregium effectum, a pignore satis alienum, producat; Sed effectus ille mox in casum abibit, dum asserere, audeo, quod, Domino feudi pignoratitii directo bonis cedente, illud ad massam concursus trahendum. Cuicumque debitor communis ad aliquid praestandum, est obstrictus, illi, si executionem obligationis cupiat, incommoda concursus subire, et ex massa suam petere, incumbit. Feudi pignoratitii Dominus directus vassallo aliquid praestare tenetur, hinc vassallo, creditori, Domini, debitoris, obligationem, extante concursu, in effectum deducere volenti, aliis creditoribus se annumerare, atque ex massa satisfactionem expectare, necessum est.



est. Vassallus autem creditor, qui solutionem ex massa petit, rem, quam in securitatem crediti possidet, lucrari nequit, sed eius distractio suscipienda, et cum haec, non priuato ausu, sed iudicialiter peragi, debeat, feudum pignoratitium massae relinquendum. Neque aliam amplector sententiam, etiamsi vassallus a concursu se praeccludi, passus sit, dum hac ratione, causa, ob quam feudum pignoratitium constitutum, finita, vassallo enim praeccluso nihil amplius debetur, quare feudum pignoratitium sine causa tenet, eiusque ad restitutionem recte compellitur.

## §. XXV.

Satis igitur, autumo, probatum dedi, feudum pignoratitium rem fundamenti et vtilitatis egenam esse. Cum autem feudum pignoratitium creditori non sit emolumento, nec oneri ipsi esse potest <sup>q</sup>. Quamuis itaque vassalli obligatio, Domino seruitia praestandi <sup>r</sup>, renouationem inuestiturae petendi <sup>s</sup>, Dominum egenum alendi <sup>t</sup>, carcere inclusum liberandi <sup>u</sup>, feudum sequatur, ab hisce tamen molestiis vassallum feudi pignoratitii immunem pronuncio. Ex quibus nunc concludo: Inuestituram, pignori accedentem, actum nominari frustraneum.

*Feudum pignoratitium Creditorem onerare nequit.*

## NOBI-

q) L. 10. ff. de R. I. Cap. 55. eod. in 6to.

r) I. F. 5. II. F. 23. in fine, et quidem sumtibus vassalli, secundum analogiam iuris, consuetudo tamen inualuit, vt Dominus sumtus pro seruitiis praestandis suppeditare, teneatur, der Herr giebt seinen Lehnen Leuten, wenn sie bey ihm ankommen seyn und mit ihm ziehen, Futter, Wabl und Aufschlag. *Carpzou P. III. Const. XXVIII. def. 18.*

s) II. F. 24. pr.

t) Dum vassallus incolumitatem corporis Domino promittere debet, II. F. 6. corpus autem Domini, quem fames premit, incolume seruari haud potest, nisi necessitati succurratur. Dein domino, certa ratione, vassallo alimenta exhibere incumbit, I. F. 6. §. mutus, et Dominus atque vassallus ad paria iudicantur II. F. 6. verb. Dominus quoque etc.

u) II. F. 24. §. item si delator.





NOBILISSIMO ET ORNATISSIMO  
DISSERTATIONIS AVTORI

S. D. P.

P R A E S E S.

**M**ibi quaerenti: quo pacto TIBI Iurisprudentiam comparaueris? recte cum Demosthene respondes: plus olei, quam vini mihi consumptum est. Non omnibus, qui nomine studiosorum insignantur, hanc vocem iure propriam esse, caret dubio. Experientia prob dolor! edocet, inter studiosos et tales extare, qui multum vini, paruum autem, vel plane nullum olei consumunt, qui tempus voluptatibus, neutiquam vero literarum artibus dicant. De TE, docte Respondens, aliter sentiendum. In Academia Salana optima analogia Iuris TE imbuiisti, hinc Philuream nostram iam bene instructus, salutasti. Ordinem procedendi circa causas forenses usitatum discendi causa, imprimis TE huc contulisti; propterea lectiones meas in B. Gribneri Principia Iuris Processuarii attentus et sedulus frequentasti, ut quaeuis optima de TE praedicare valeam. Studio iuris nunc feliciter peracto, discessum ex nostra Academia meditaris, et rationem studiorum TVORVM publice reddere, constitutum habes. Eam nulli defectui obnoxiam fore, Dissertatio TVA praesens proprio Marte conscripta, luculentum perhibet testimonium. Gratulor hinc TIBI de bene meritis honoribus, quibus sperimen publicum TVAE non vulgaris eruditionis TE coronabit. Summum Numen ulterius incepta TVA secundet, TIBIQUE quaeuis prospera concedat! Vale, meque amare perge. Dab. e Museo d. XXVIII. Mart. A. O. R. M DCC XLII.

\* \* \*











ULB Halle

3

005 361 559




*1018*











17

F. 4. num. 26, A  
1742, 16.

Q. D. B. V.  
DISSERTATIO IVRIS FEVDALIS  
DE  
FEVDO PIGNORATITIO  
RE FVNDAMENTI ET  
VTILITATIS EGENA

P. 392

vom  
Pfand-Lehn,  
als einer ungegründeten und unnützen Sache,

QVAM  
ILLVSTRI ICTORVM ORDINE  
CONSENTIENTE  
P R A E S I D E  
DN. IO. GOTTLIEB SIEGEL D.  
IVR. FEVD. PROF. PVBL. ORDIN. ACADEM. SYNDIC.  
REGIAE ATQVE ELECTORALIS CVRIAE SVPREMAE  
PROVINCIALIS NEC CONSISTORII LIPSIENSIS  
ADVOCATO

PRAECEPTORE SVO PIE COLENDO  
D. V. APRILIS CIO IDCC XXXXII.  
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI  
SVBMITTIT  
AVCTOR ET RESPONDENS  
CHRISTIAN GVILIELM ERNST BEYER  
ARNSTADIO - SCHWARTZBURG.

L I P S I A E  
EX OFFICINA LANGENHEMIANA

